

valeat. Si aestu affectuum conturbamur, omnia praecipitantur & sic iudicio erroneo semel formato, facile in alia praecipitia per hoc labimur, adeoque representationes Mentis deprauantur per voluntatis mutationes. Praeterea representatio viuidior, quae affectus vehementiam excitauit, in similes tantum aut antea coniunctas ideas ducit: \* quo ipso adaequata rei perceptio impeditur & error oritur. e. g. in Sempronio si quidquam ingratipercipiam, quod taedium affectumque odii in me producat: haec idea disharmonica alias sui similes aut antea coniunctas excitabit. Vnde nonnisi odiosa hoc quidem in aestu Mentem subire possunt: Ceteris, quae in sempronio diligi aestimarique mereantur omissis. Huc accedit, quod Mentis actiuitas affectu vehementiori irritata & tota fere ideis huc pertinentibus occupata, ceu fuit in modo dictis explicatum, alia Menti oblata non debite aestimare valeat. Quae enim ad praesentem affectum pertinent, viuidius Mentem adficiunt: vnde obfuscatur & fere imperceptibilis redditur omnium reliquorum representatione & hinc iterum ad errorem proclivitas oritur intellectusque sit deterior.

#### §. XIV.

Haec de prima difficultate qua emendatio ab intellectu inchoata premi videbatur, atque ex perceptionis boni malique diversa ratione oriebatur, dicta sufficient. Iam de libertate voluntatis dispiciemus, an illa cum sententia, quae emendationem ab intellectu inchoandam censet, stare queat. Sic enim Secundo sententiae oppositae Patroni argumentantur: Quaecunque facultas ab alia dependet, illa non est libera. Sed voluntas ex sententia eorum, qui emendationem ab intellectu inchoandam esse statuunt, ab hoc dependet. Ergo non est libera. Sed Responderi facile potest negando maiorem Propositionem. Illa tantum procederet, si intellectus & voluntas diuersae essent substantiae, separatim existentes & agentes. Iam vero vnius substantiae nimirum animae sunt conatus, qui per ordinem a Creatore ipsi constitutum ita se exerit, ut a representationibus

\* conf. Domini Praefid. dissert. de Cognitione sui ipsius propaedematica §. 16.